



Per.
Lat
020

Latin ifjúsági folyóirat.

Lateinische Jugendzeitschrift.

Revue latine de la jeunesse.

Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142-215).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Megjelenik évente tizszer. — Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1939-40. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Inaugurantur¹ aedes gymnasii O. Cist. novae in urbe Alba² Regia².

Festum pulcherrimum die Nativitatis³ B. (= Beatae) Mariae³ V. (= Virginis) celebravimus nos, qui Albae Regiae frequentamus gymnasium Ordinis Cisterciensis. Caelo favente iniimus sollemnitates; ad aedes scholae nostrae novas inaugurandas multi convenerunt et praecipue permulti eorum, qui scholam nostram frequentaverant.


Dominus Abbas Zircensis, Vendelinus Endrédy sacrificium⁴ Eucharisticum⁴ obtulit, in quo preces⁵ ad Deum fundebamus⁵, ut novo aedificio faveret. Post missam benedixerunt aedibus novis Ludovicus Shvoy, episcopus Albaregalensis, Vendelinus Endrédy, Josephus Miller praelatus et Albinus Kiss, prior Zircensis. His peractis multitudo Hymnum Hungaricum cantavit, deinde Dominus Abbas in allocutione dixit hunc locum esse sanctissimum, non solum, quod Ecclesia benedixisset, sed etiam quod hic rex primus vixisset et quod pro hoc loco defendendo multum sanguinis Hungarici fusum esset. «Hae aedes publicis⁶ adactis⁶ sunt constitutae; ut sub-

¹ felavat = einweihen = inaugurer ³ Székesfehérvár

² die VIII m. Sept. ⁴ miseáldozat = Meßopfer = messe

⁵ imát mond = ein Gebet verrichten = dire une prière

⁶ cölöpöket bever = Pfähle einschlagen = enfoncer des pilots



Rev.-mus Dominus Vendelinus Endrédy, Abbas Zircensis orationem inauguralem habet.

licae penetrant humum aetatis Stephanae, quam terra compluribus saeculis profunde operuit⁷, ita nos hereditatem a St. Stephano accipere oportet.»

Deinde Carolus Jalsoviczky secretarius⁸ statūs⁸ a ministro cultus et institutionis publicae pro se missus merita ordinis Cisterciensis plurimi aestimans clementiam a Deo petivit novae scholae. Aemilius Csitáry magister⁹ civium⁹ laudavit ordinem Cisterciensem memoravitque moenia urbis nostrae olim ab sacerdotibus peregrinis opera regentibus aedificata esse, quorum nunc posteros futurae Hungariae munimenta aedificare.

Oratione habitā architectus, *Eleutherius*¹⁰ *Rottman* clavem novi aedificii tradidit Abbati, patrono gymnasii nostri, qui eam porrexit directori, *Bernardo Gálos*. Director noster — breviter dicens a se hanc clavem symbolum haberi, quia semper significaret hic omnia exempla, quae discipuli viderent, esse clavem animae iuventutis — accepit clavem. Carmine sollemni, quod magister noster *Amadeus Révész* composuerat, recitato carmineque hortatorio «Szózat» cantato sollemnitate magnificatissimas urbis nostrae antiquissimae iuventutis scholae nostrae proceres praeteriens¹¹ finivit.

Ioannes Fűsz,

abituariens¹² Stephanei Albaregalensis.

⁷ eltakar = zudecken, verhüllen = recouvrir ⁸ államtitkár = Staatssekretär = secrétaire d'État ⁹ polgármester = Bürgermeister = maire ¹⁰ Aladár ¹¹ elötte elvonul = vorbeimarschieren = défiler devant ¹² discipulus ultimae (VIII-ae) classis



LECTORIBUS MINIMIS.

Jocosa.

1. *Uxor garrulus*¹. *Uxor*: Nocte in somno magnā voce locutus² es. — *Maritus*: Indulgeas³, quaeso, quod te interrumpi.

2. *Vicinus prudens*. *A*: Vicinus noster, ut opinor⁴, aegre fert, quod Georgio nostro parvulo tympanum⁵ emimus. — *B*: Cur hoc opinaris? — *A*: Georgio parvo enim cultellum⁶ donavit et suasit⁷ ei, ut exploraret, quid in tympano esset.

3. *Lapides*. Professor metallorum⁸ in universitate de lapidibus in mensa positus tractat. Dum ad tabulam se convertit, ut formulas inscriberet, auditores clam⁹ lapidem simplicem in mensa depununt. Professor reversus fraudem animadvertit, sed nullam vocem de hac re proferens tractationem continuat: «Hic lapis est onyx, alter lapis sectilis¹⁰ . . .».

Res venit ad lapidem furtive⁹ appositum; quem professor in manus sumit et dicit: «Hic vero, dominae et domini, est documentum¹¹ impudentiae.

4. *Frustum*¹² *Vindobonense*¹². Paulus parvus perterritus prosilit a latere vituli¹³ mugientis¹⁴. Pater inclamat: «Cur times? Ecquidem frustum Vindobonense comedis, quod est caro vituli assa¹⁵. — Ita est, respondet parvulus, sed hujus vituli caro tota assata¹⁵ nondum¹⁶ est.

5. *Examen*. Caupo¹⁷ rusticus: Si forte furca¹⁸ ex manibus hospitis in terram cadit, quid tunc facis? — *Famulus*: Tollo, exporto in culinam¹⁹ et reportabo hospiti.

6. *Benignitas*. *Filius*: Mater mi, foris²⁰ quidam miser clamitat, demus ei viginti crucigeros²¹! — *Mater*: Quid iste miser clamitat? — *Filius*: Sine fine hoc: «Sachara²², crustula²³ ematis!»

Uxores inter se. *A*: Solet-ne maritus tuus in somno magna voce loqui? — *B*: Proh²⁴, solet. Nuper²⁵ quoque omnes collegae ejus in atrio, in quo munere²⁶ officii²⁶ fungitur²⁶, iridentes videbant eum dormientem et magna voce loquentem.

8. *Medicus domesticus*: Quid novi domi, Paule? — *Paulus*: Pater meus in lectulo iacere coactus est. — *Medicus*: Et me cur non vocavistis? — *Paulus*: Nam mater mea braccas²⁷ laceratas ei resarcit²⁸.

9. *Peritia*. Georgius parvus gaudio exultans²⁹ redit e schola: Pater mi, scivi aliquid, quod ne magister quidem noster scivit. — *Pater*: Quid fuit hoc? — *Georgius*: Numerus telephonii nostri.

Felicianus Gondán dr. O. Cist. — Baja.

¹ böbeszédű = geschwätzig = bavard ² beszél = sprechen = parler ³ bocsáss meg = verzeihe = excuser ⁴ credo, puto ⁵ dob = Trommel = tambour ⁶ kés = Messer = couteau ⁷ tanácsol = anraten = conseiller ⁸ ásványtan = Mineralogie = minéralogie ⁹ titokban = insgeheim = à la dérobée, clandestinement ¹⁰ metszett = geschnitten = taillé ¹¹ tanujel = Beweis = document, preuve ¹² bécsi szelet = Wiener Schnitzel = escaloppe viennoise ¹³ borjú = Kalb = veau ¹⁴ bögő = brüllend = mugissant ¹⁵ sült = gebraten = rôti ¹⁶ még nem = noch nicht = pas encore ¹⁷ korcsmáros = Gastwirt = restaurateur ¹⁸ villa = Gabel = fourchette ¹⁹ konyha = Küche = cuisine ²⁰ kint = draußen = dehors ²¹ krajcár = Kreuzer = sou ²² cukor = Zucker = sucre ²³ sütemény = Zuckerplätzchen = gâteau ²⁴ sajnos = leider = hélas ²⁵ minap = unlängst = l'autre jour, naguère ²⁶ hivatali teendőit végzi = sein Amtsgeschäft verrichten = vaquer à ses fonctions ²⁷ nadrág = Hose = pantalon ²⁸ foltozni = flicken = rapiécer ²⁹ ujjong = jauchzen = exulter

Certamen corrigendi.

Non solum «docendo discimus», sed etiam corrigendo. Quare discipuli invitantur, ut hanc epistulam ab lectore quodam ad moderatorem missam corrigere experiantur. Qui optime correxerit, praemio ornabitur. Terminus: Cal. Jan.

Carissime Domine Moderator Iuventutis!


Nunc audeo duas narratiunculas ad Te mittere, quamquam nescio, num placet Tibi. Sed bonum spero et sum valde cupida ut quomodo Tibi placere. Exercitum maius tetendi in conceptione Latina parare. Maxime gaudio Iuventutem lego. Debeo multa Iuventute, quia scientias multas dedi mihi. Etiam tetendi talem rem scribere, quae utilis est. Tria aenigmata explicavi in ephemeride Idibus Octobribus, et haec mitto cum epistola mea et duas narratiunculas. Ego sum vehementer concitate, quando prodibent.

Salutem plurimam dicit X. Y.


Carmina popularia Hungarica. VII.

Alexander Petőfi: Introivi in culinam. Latine reddidit Vincentius Bors Szegedinensis.


Laete.




In - tro - i - vi in cu - li - nam, Ig - n(em)in - ie - c(i)in me - am pi - pam
Ig - nem fe - cit dul - cis - si - ma Flag - ran - tem, ut stru - xit il - la;



Vel po - tius in - iec - tus es - set, Ni - si pi - pa iam fu - mas - set;
Heu, o - cel - li ta - men ve - re Ig - nis flam - mas ha - bu - e - re!



Ar - sit tum iam be - ne - pi - pa, Nec in - tra - vi prop - ter - e - a!
Il - l(a)in - tran - tem as - pe - xit me, Fas - ci - na - vit for - san fer - me!



In - tro - i - vi, quod vi - de - ram, Pu - el - l(am)es - se in - tus bel - lam.
Ex - stinc - ta(e)st mi pi - pa fu - mans, Ac - cen - sum(e)st mi cor dor - mi - tans.

Filia decurionis¹ Tétényiensis.

Aliquando, cum rex Matthias nocte per pagum Tétény veheretur², ingenti molā³, quae in media via iacebat, rota currus confracta est. Rex valde indignabundus timorem⁴ decurioni iniicere⁴ constituit. Igitur eum arcessit et «Cum⁵ vos — inquit — tam pigri sitis, ut molam in via reliqueritis, nisi impero vobis, ut priusquam tertio die rediero, molam istam deglubatis⁶. Quomodo hoc facturū⁷ sitis⁷, vos videbitis⁸.»

Decurio vehementer calebat⁹, propterea quod, cum nunquam antea molam ullam deglupsisset, nesciebat, quomodo rem aggrediretur¹⁰. At filia decurionis, qui aciem¹¹ ingenii¹¹ habebat, dixit patri: «Si me cum rege colloqui sinis, iam ego illi commode¹² respondebo». Sciebat enim regem, qui plebem diligeret, admodum¹³ laetari, si homines faceta¹⁴ sibi responsa darent.

Cum igitur rex revertisset, imperavit decurioni, ut pellem¹⁵ molae sibi ostenderet. Tum puella «Quomodo tu — inquit — desideras, ut mola viva deglubatur? Quodsi pellem a meo patre detrahi cupis, saltem¹⁶ prius molae sanguinem emitte.»

Matthias, cui responsum facetum valde placuerat, postquam vultum puellae palpavit¹⁷, laetus iter continuavit. Val. Fehér O. S. Ben.-Zalaapáti

¹ falusi bíró = Schultheiß = maire du village ² kocsi-zott = fuhr = allait en voiture ³ malomkő = Mühlstein = meule ⁴ ráijeszt = Furcht einflößen = effrayer ⁵ mint-hogy = da = comme ⁶ megnyúzni = schinden = écorcher ⁷ faciatis ⁸ az a ti gondotok = möget ihr selbst dafür sorgen = c'est votre affaire ⁹ főtt a feje = hatte den Kopf voll = ne pas savoir où donner de la tête ¹⁰ inciperet ¹¹ éles ész = Scharfsinn = esprit vif et tranchant ¹² talpraesetten = schlagfertig = du tac au tac ¹³ valde ¹⁴ elmés

= witzig = spirituel ¹⁵ bőr = Haut = peau ¹⁶ = leg-alább = wenigstens = du moins ¹⁷ megsímogat = streicheln = caresser



Custos: Consiste! Quis es? Num captivus noxius fugitivus? Non? Ergo quisnam es?

Ille: Venator zebRARUM.

Aes alienum¹ fidei¹ commissum.¹

Virum perillustrem (Lord) Britannicum Winstanston (cuius nomen in Britannia «Uinszn» pronuntiat²) adiit unus ex creditoribus eius cum syngrapha,³ quae de satis magna summa rite per scripta⁴ erat. Sed vir perillustis dolentissime⁵ declaravit se solvere⁶ non posse. Creditor audiverat debitorem⁷ suum in circulo⁸ priore nocte paginis⁹ ludentem⁹ pecuniam haud parvam perdidisse et statim solvisse. Facere igitur creditor non potuit, quin rem verbo attingeret: «Amplitudo¹⁰ Vestra¹⁰ aes alienum, quod paginis ludendo conflaverat,¹¹ heri statim solvit, sed ego summam mihi debitam¹² iam complures per menses frustra peto».

— Atqui, amice, id est longe¹³ aliud! — dixit vir perillustis — id erat aes alienum fidei commissum.

— Quid differt¹⁴ hoc ab illo? — creditor maestissime interrogat.

— Aes alienum commissum fidei est, de quo debitor scriptum non dat et solā fide praestat¹⁵, ergo lege exigi¹⁶ non potest.

— Gratias, Mylord. Ex hoc puncto¹⁷ temporis¹⁷ nihil iam postulo a Vestra Amplitudine — dixit creditor et syngrapham discidit¹⁸. Vir autem perillustis Britannicus eo ipso die usque ad nummulum ultimum ei transmisit summam in syngrapha discissa indicatam.

Irene Áts

abituriens thygatrogymn. Kaposváriensis.

¹ becsületbeli adósság = Ehrenschild = dette d'honneur ² kiejt = aussprechen = prononcer ³ kötelezvény = Schuldschein = obligation ⁴ kiállít = ausstellen = dresser ⁵ legnagyobb sajnálatára = mit dem größten Bedauern = à ses plus grands regrets ⁶ fizetni = zahlen = payer ⁷ adós = Schuldner = débiteur ⁸ kaszinó = Klub = club, cercle ⁹ kártyázni = Karten spielen = jouer aux cartes ¹⁰ Méltóságod = Euer Hochgeboren = Votre Seigneurie ¹¹ fecerat ¹² nekem járó = was ich zu bekommen habe = ce qui m'est dû ¹³ egészen = ganz = tout à fait ¹⁴ különbözök = Unterschied = différer ¹⁵ kezeskedik = Gewähr leisten = garantir ¹⁶ behajtani = eintreiben = exiger ¹⁷ pillanat = Moment = moment ¹⁸ széttép = zerreißen = déchirer

Fabula.

Lectoribus minimis scripsit *Ladislau Mihálcsik*, disc.
Gymn. Acad. Bp.

Erat olim¹ in Africā gens beata, cuius populus contentus erat, nam rex benigne regnabat. Sed aliquando hostes venerunt, ut hoc regnum occuparent. Cives omnes arma ceperunt et laete cantantes sub signis ibant, ut patriam defenderent.

In pugna horrendā hostes devicerunt et reppulerunt. Sed gloria haud dulcissima erat, nam filius regis in pugna captus est, et militēs gloriam nuntiantes frustra² filium regis, duces pugnae, quaesiverunt, quia ille iam longe tum abfuit vinctus cum servo fideli, qui eius vitam defenderat. Hostes irati ob pugnam malam abegerunt eōs pugnae unicum praedam, quod rex nescivit. Captivi coenās malās edebant, veste malā vestiti, quia vestibus veteribus custodes spoliaverunt miseros. Regulus³ cum servō fideli in agris laborabat, semper autem fugam moliebantur,⁴ sed vinculis tardaban-

tur. Quam ob rem fugere non poterant, sed spes eōs nutrebat.

Fugit tempus, filius regis labore acri convaluit,⁵ et musculis iam facilius laboravit. Quondam servus, quōcum assidue vinctus erat vinculis, securem⁶ invenit et nocte vincula securi rumpere conati sunt,⁷ sed non potuerunt. Regulo dormiente servus expectatus⁸ celeriter securi pedem suum talō⁹ spoliavit, deinde — a vinculis liberavit regulum, cui expectatō servus facta narravit sua, et dominum liberatum iussit fugere. Quamquam regulum percreuentus,¹⁰ et amor illius tardavit, tamen dolenti corde aufugit, priusquam custodes sensissent.

Feliciter advenit in patriam suam, et exultaverunt¹¹ omnes totum per regnum gaudio. Regulus semper recordabatur¹² servi boni, qui amore, virtute, pede amissō eum liberavit. Cum autem interrogaretur, cur tristis esset, dolenti animō, prope lacrimans narravit casum tristem servi fidelis, quem omnes iam mortuum esse putabant.

*

Servus, postquam regulus aufugit, luce primā a custodibus in sanguine iacens et securem manu tenens tamquam mortuus inventus est. Militēs eum ad regem portaverunt. Rex misericors¹³ et benignus, ut vidit miserum, qui propter vulnus mentis¹⁴ non¹⁴ compos¹⁴ erat, clarissimōs medicōs misit, ut illum curarent. Bene medici voluntati regis obsecuti sunt¹⁵, et annō dimidiō praeteritō, miser iam sanus ad regem ductus est, cui casum suum enarravit. Rex, quamquam primores¹⁶ malevoli suaserunt, ut servus rebellis puniretur, tamen haud punivit hominem pede mutilatum,¹⁷ sed pecuniās, equō donavit, et comites quoque dedit, ut ad regulum ducerent eum. Servus manum regis misericordis osculans gratiās¹⁸ egit¹⁸ pro clementia et donis. Duodecim satellitibus comitantibus¹⁹ fortunate advenit in domum reguli, qui patre mortuō tum iam rex fuit. Hic primum non cognovit servum vestibus pulchris vestitum, sed postea vultum illius bene contemplanis, agnovit servum, qui prope vitā suā eum liberaverat. Amplexus est²⁰ dominus servum, et servus dominum. Tum rex magna sollemnia instituit²¹, et postea semper laetus fuit. Mox beate rex et servus in domiciliō regis vivēbant, sed non²² impares²² gradu²² dignitatis²² erant, nam servum liberatorem et amicum regis omnes colebant. Rex et servus etiam nunc vivunt, nisi interim mortui sunt.

¹ hajdanában = ehemals = autrefois ² hiába = vergebens = en vain ³ királyfi = Königssohn = fils de roi ⁴ tőri a fejét vrain = er zerbricht sich den Kopf = méditer ⁵ megerősödik = erstarken = se raffermir ⁶ fejsze = Axt = cognée ⁷ megkísérel = versuchen = essayer ⁸ felébredve = erwachend = s'éveiller ⁹ sarok = Ferse = talon ¹⁰ véres = blutig = sanglant ¹¹ ujjong = jauchzen = pousser des cris de joie ¹² visszagondol = sich erinnern = se souvenir ¹³ könyörületes = barmherzig = charitable ¹⁴ eszméletlen = besinnungslos = évanoui ¹⁵ engedelmeskedik = willfahren = condescendre ¹⁶ főemberek = die Vornehmen = notabilité ¹⁷ megcsónkított = verstümmelt = mutilé ¹⁸ hálálkodik = Dank sagen = remercier ¹⁹ kíséretével = in Begleitung von = accompagné de ²⁰ megölelte = umarmte = embrassa ²¹ rendez = veranstalten = arranger ²² egyenrangú = gleichgestellt = ayant les mêmes droits

LECTORIBUS MEDIIS



De falsa spe Columbi.

Quaedam ephemerides extraneae fabellam nunc renovant, quae sane unica in omnibus historiis est.

Agitur¹ de quaestione, quomodo Columbus credere potuerit se Sinam ad occidentem versus navigantem brevi attingere posse. Hic error consecutio fallaciae XV (= quindecim) saeculis ante Columbum cogitatae² fuisse videtur. Circa Christum natum sericum³ Sinense Occidens a mercatoribus⁴ Macedonicis mediatoribus⁴ accepit. Primo Parthi sericum e Sina exportabant et Macedonibus tradebant, sed aliquando negotiatori⁵ Macedonico in mentem venit, ut funcionarios⁶ suos in ipsam Sinam serici exportandi causā mitteret. Expeditio bene successit et functionarii anno post magna vi serici onerati in Macedoniam redierunt. Praemium ad⁷ numerum milliariorum⁸ confectorum acceperunt. Computatio⁹ auxilio tabulae¹⁰ Sinensis habita est, quae viam accurate demonstrabat et usque ad finem medii aevi fons solus notitiarum¹¹ geographicarum Asiae erat. Modulus huius tabulae milliarium Sinense «di» dictum erat.

Sed viatores nostri pecuniam¹² quam maximam tibi merere¹³ voluerunt. Quam ob rem longitudinem «di» Sinensis ter multiplicatam computaverunt. Et certe mercedem distantiae triplae accurate adaequatam acceperunt, quia nemo fraudem suspicatus est.¹⁵ Cum notiones¹⁶ geographicae saeculo XVI (= sexto decimo) clarescere coeperant, etiam tunc mercatores illā vetere tabulā Sinensi utebantur et modulus longitudinis secundum illos nebulones¹⁷ Macedonicos computabant. Itaque credi oportebat continentem Asiaticam triplo longiorem esse quam re vera fuit. Ita Columbum exsistentia continentis Americanae et Oceani Magni fallere¹⁸ potuit, qui credebat se pro ratione¹⁹ brevi itinere ab Oriente in Sinam pervenire posse.

Dion. Kövendi Kunszentmiklós.

¹ szó van = es handelt sich um ... = il s'agit de...
² tudatos = bewusst = intentionnel ³ selyem = Seide = soie ⁴ közvetítő kereskedelem = Zwischenhandel = commerce intermédiaire ⁵ vállalkozó = Unternehmer = commerçant ⁶ alkalmazott = der Angestellte = employé ⁷ szerint = nach = d'après ⁸ mérföld = Meile = mile ⁹ számítás = Berechnung = compte ¹⁰ térkép = Landkarte = carte géographique ¹¹ ismeret = Kenntnis = connaissance ¹² mértékegység = Maßstab = unité (de longueur) ¹³ pénzt keresni = Geld verdienen = gagner de l'argent ¹⁴ számítani = berechnen = compter ¹⁵ sejteni = ahnen = se douter ¹⁶ fogalom = Begriff = notion, idée ¹⁷ szélhámos = Windbeutel = coquin ¹⁸ figyelmét kikerülni = übersehen = échapper à ¹⁹ aránylag = verhältnismäßig = relativement

Iudex parvus.

In urbe Tunesio (= Tunis) in eadem casa lignea duo homines habitabant, alter saponum¹ coquebat venditabatque, alter mercator florum erat. Quorum domicilia tantum pariete tenui separabantur. Faber saponum cotidie pecuniam mercibus venditis acceptam numerabat et non modo summam, sed etiam singula genera nummorum more suo malo tam magnā voce sibi dicitabat, ut vicinus omnia audire posset. Aliquando, cum ille forte magnam paravisset summam, mercator florum numeris nominibusque singulorum nummorum bene auditis iudicem adit et fabrum saponum accusavit, quod pecuniam sibi surripuisset.² Ut iudex calumniam facilius crederet, singula genera nummorum argenteorum aureorumque ei enumeravit. Iudex iratus celeriter in domicilium fabri accusati festinavit et nummis in arca³ eius inventis fabrum in vincula coniici iussit.

Quae res tum per totam urbem varie tractabatur. Aliquando iudex (Arabice: «kadi») urbem perambulans pueros ludum iudicii ludentes vidit. Auscultabat, de quo «crimine» illi loquerentur. Pecunia erat mercatoris florum «ait alter puer». «Contrarium — inquit alter — affirmo.» «Rem statim iudicabo. Afferte mihi vas aquae plenum!» dixit tertius, qui in ludo munere⁴ iudicis fungebatur. «Quid tibi hoc vas vis?» interrupit loquentem kadi noster. «Veritatem cogniturus nummos iniicere volo, quia, si pecunia fabri saponum sit, maculae sebi⁵ in superficie aquae inveniuntur» respondit sapiens parvulus.

Iudex, cui placuit hoc responsum, passibus celeribus in sedem magistratus se contulit, ut nummos ibi depositos in vas aquae iniici iuberet. Quo facto in superficie aquae vere maculae sebi natare videbantur. Veritate ita cognitā kadi iustus innocentem non modo libertatem, sed etiam pecuniam



reddidit, accusatorem autem falsum alienorumque bonorum avidum in vincula dari iussit.

O. S. (Zalaegerszeg.)

¹ szappan = Seife = savon ² elcsen = stehlen = voler, chiper ³ láda = Kiste = caisse ⁴ szerep = Rolle = rôle ⁵ faggyu, zsír = Talg, Fett = suif, graisse

Irascrisne, serve?

Scriptis *M. Jókai*, Latine reddidit *Iosephus Tóth dr. Csurgonensis*.

In mundo fabularum herus¹ commemoratur, qui eo modo cum servo suo pacisci solebat, ut qui alterum prius iratum facere posset, ex tergo iratorum² scinderet. Primum servum, quocum pactus est, primo die in agrum misit, ut usque ad vespereum 12 saccos tritici³ solus implet, quae ipse deteteret⁴, addidit ei canem quoque et duobus unum panem et unum caseum⁵, sed imperavit, ne panem aut caseum incidere, verum tamen etiam canem satiaret⁶. Primus famulus statim primo die insanivit ex hac oblectatione, ne 3 saccos quidem implevit et praeterea esuriens⁷ cum cane rediit.

«Irascrisne serve?» — interrogavit herus.

«Certe irascor, domine!» Statim ex tergo eius herus lorum scidit!

Idem accidit altero servo. Etiam is iratus est, ex tergo eius quoque lorum scissum est. Sed venit tertius. Hic iam vafer⁸ puer erat. Huic quoque imperavit dominus, ut in agrum egrederetur, 12 saccos compleret tritici, unum panem et caseum secum portaret, sed neutrum incidere, tamen et canem et se satiaret.

Servus dicto⁹ audiens⁹ evasit in agrum, usque ad meridiem non maximo labore implevit unum saccum tritici, hunc saccum in ceteris involvit saccis, eo modo omnes 12 sacci complebantur. Post hunc laborem sumpsit panem et caseum, partem imam utriusque perforavit, per foramen¹⁰ partes interiores exemit, sic et ipse et canis satiati sunt. Deinde foramen iterum glutinavit¹¹, ne partem interioriorem vacuam esse appareret. Mox lente domum rediit vespere cum uno sacco tritici, quo



Nurmi, cursor Finno-um longe lateque clarus.

omnes pleni erant. Tradidit hero triticum, panem caseumque ac cum interrogaretur: «Irascrisne serve?» «Non irascor, domine!» — respondit tranquille.

Dominus capite renuit¹² videns se in puerum verutum⁸ incidisse, attamen putabat mox se eo superiori fore. Postero die unum nummum dedit ei: «En, perge in forum olitorium, eme hoc nummo lentem et fabam, ex lente coque ius¹³, ex faba autem olera, quae parata sint meridie, unā nos cenabimus.» Servus nummum accepit et meridie hero sibi apposuit in ingenti patina¹⁴ in media aqua calida unum granum lentis et in altera patina unum granum fabae. «Haec est lens, haec faba!»

Iam etiam dominus totidem causas habebat irascendi, quot servus, quamobrem neuter quidquam dixit. Sed sub vespere imperavit dominus: «Pergo in vicum vicinum, vides, lutum¹⁵ quantum sit; dum media nocte domum redibo, usque ad domum viam exsicca mihi et usque ad domum via mihi illuminetur!»

Servus pollicitus est omne sibi curae fore. Ut dominus abiit, magna plaustra oneravit faeno¹⁶ stramentoque, dissipavit per viam, ut herus sicco pede domum redire posset in stramento et faeno suo. Ut autem usque ad domum lux ei fieret, servus non commodius facere poterat, quam incendens duos acervos¹⁷, quorum flamma lucebat ad vicum vicinum. Tunc summa celeritate accurrit dominus videns, qualem vastationem efficeret servus. «Ubi es, tu furcifer¹⁸?» Servus lente interrogavit: «Num irascris, domine?»

«Sane irascor, serve!»

«Admove ergo tergum, domine!» Et servus lorum scidit ex tergo heri.

¹ dominus ² szijj = Riemen = courroie ³ búza = Weizen = blé ⁴ kicsépel = ausdreschen = battre ⁵ sajt = Käse = fromage ⁶ jóllaktat = sättigen = rassasier ⁷ éhesen = hungrig = affamé ⁸ furfangos = schlau = rusé ⁹ engedelmesen = gehorchend = obéissant ¹⁰ lyuk = Loch = trou ¹¹ beragaszt = zukleben = coller ¹² helytelenít = mißbilligen = désapprouver ¹³ leves = Suppe = potage ¹⁴ tál = Schüssel = plat ¹⁵ sár = Kot = boue ¹⁶ széna = Heu = foin ¹⁷ kazal = Schober = meule ¹⁸ akasztófára való = Galgenstrick = pendard



Olympia in annum 1940 constituta a Finnis adhuc diligenter praeparabantur. In urbe Helsingissa magnis sumptibus novum stadium ingentis multitudinis capax aedificatum est, dum ubique gentium et juvenes et puellae corpus diversis generibus gymniorum exercebant, ut quisque quam plurimis praemiis gloriae patriae suae auget. Nuper tamen, cum tres Europae magni populi bellum inter se gerere incepissent, viri ludis Olympiacis edendis sententiam omnes nationes rogaverunt, utrum certamina a. 1940 ponenda, an differenda in aliud tempus putarent, dum bello finito pax rediret. Priusquam nationes respondere petuissent, aliud periculum fratribus nostris septentrionalibus imminere coepit: Russi insulas quasdam aliasque res poscunt, quare Finni metu percussi maiores urbes vacuefaciunt libertatem, si necesse fuerit, armis defensuri.

Graphologia.¹

Scriptis : Zs. Harsányi, Latine reddidit : Ios. Guelmino Bp.

Directorem² summum² adit cognata quaedam, ad paupertatem³ redacta³ matertera⁴, soror matris. «Citius, matertera Carolina — dixit filius sororis — citius, plurimae enim res manent me, et re vera non vacat⁵ mihi⁵.»

Matertera statim lacrimas effundit. Timida enim intravit tractatorium⁶ filii sororis⁷ et in vestibulo iam sesquihoram⁸ manebat, quod confecit⁹ miserulam. Et nunc propter vocem minime amicam vix loqui potest.

«Cito, — iteravit summus director — lacrimas effundendo tantum tempus teritur. Pecuniam autem frustra rogabis, quia non dabitur.»

— Non pecuniam peto a te — lacrimat matertera — pro filio veni.

— Neque munus¹⁰ vacuum habeo.

— Habes Geysa, aut sit venia verbo : Amplitudo¹¹ Vestra¹¹. Hebdomade¹² praeteritā duo sunt mortui in sectione¹³ rerum personalium. Haec duo loca vacant.¹⁴

— Unum autem ex iis non explebitur.

— Alterum autem explebis. Per Dei clementiam, hoc munus manda filio meo.

— Hic autem nihil aliud valet¹⁵, nisi quod argentariae¹⁶ refert¹⁶. Cognatio nihil valet.

— Manda igitur argentariae causā. Habet testimonium¹⁷ maturitatis¹⁷ scholae commercialis emmens. Loquitur Britannice, Francogallice, Germanice, Italiceque. Doctor factus est iurisprudentiae summa cum laude. Opere commerciali pretium certaminis adeptus est in universitate Sorbonne. Non bibit, non utitur tabaco, paginis¹⁸ non ludit¹⁸. Et praeter eum adhuc quattuor liberos habeo et ille me iam iuvare debet. Oro atque obtestor, manda ei quodvis munus, duos iam dies calidus cibus non tetigit os meum, hanc per hebdomadam non possum calefacere et praeterea . . .

— Satis, satis, non vacat mihi. Scribe libellum¹⁹ supplicem¹⁹ !

— En tibi, precor, libellus !

— Depone. Vale !


Matertera deposuit libellum et lacrimas fundens secessit. Vix limen transgressa est, summum directorem summus furor occupavit. Certe ultima rerum est vexari a cognatis pauperibus. Et irā incensus libellum in octo partes discissum²⁰ in corbem iccit. Postquam se collegit²¹, cogitare coepit : si iuvenis ille tam eximius est laborator, fortasse locus mandari ei potest. Aequum est autem omni modo eum concertationis²² participem fieri. Et denique matertera Carolina quoque soror est matris meae.

Lente pudere coepit directorem sui ipsius. Intrare iussit igitur secretarium suae personae et, ne quem intra quadrantem²³ horae²³ in tractatorium intrare pateretur, imperans, collegit e corbe libellum conscissum. Et e partibus compositum propriā manu iterum descripsit. Quo facto tintinnabulo vocavit secretarium :

— Hunc libellam mittas in sectionem rerum personalium. Petitor, quamquam cognatus est mihi, neque tamen sit separata²³ censura²³. Munus illi mandabitur, qui maxime dignum se praebuerit.

Post hebdomades duas nominatio evenit, sed non materterae filius erat nominatus. Et matertera iterum filium sororis adiit :

— Quae causa impedivit, quominus munus



Turris Olympica stadium Helsingianum ornans (pag. 22).

filio meo mandari posset? Iuvenis quidam dives accepit locum, cui, revera nihil opus est eo. Quid faciam, quo me vertam?

— Nescio quomodo sic acciderit, sed i domum, precor, curabo, ut aliquid fiat. Promitto tibi, i.

Et matertera abiit. Summus director tunc ad se vocari iussit praefectum rerum personalium.


— Quid factum est de illo munere in sectione

¹oly tudomány, amely az írásból következtet az író belső értékeire = Handschriftendeutung zur Charakterbestimmung = art de reconnaître le caractère d'une personne d'après l'examen de son écriture ²vezérigazgató = Generaldirektor = directeur administrateur ³elszegényedett = verarmt = devenu pauvre ⁴nagynéni = Muhme = tante ⁵nem érek rá = ich habe keine Zeit = je n'ai pas le temps ⁶iroda = Kanzlei = bureau ⁷unokaöccs = Neffe = neveu ⁸másfél órát = anderthalb Stunden = une heure et demie ⁹megvisel = erschöpfen = éprouver ¹⁰állás = Posten, Stelle = place ¹¹Méltóság = Euer Hochgeboren = votre grandeur ¹²a hét = Woche = semaine ¹³osztály = Sektion = section, département ¹⁴betöltetlen = unbesetzt = être vacant ¹⁵számít = gelten = compter ¹⁶a bank érdeke = das Interesse der Bank = l'intérêt de la banque ¹⁷érettségi bizonyítvány = Maturitätszeugnis = brevet de baccalauréat ¹⁸kártyázni = Karten spielen = jouer aux cartes ¹⁹kérvény = Bittgesuch = demande ²⁰széttép = zerreißzen = déchirer ²¹magához tér = sich erholen = se remettre ²²pályázat = Wettbewerb = concours ²³negyed óra = Viertelstunde = quart d'heure

rerum personalium? — interrogavit. — Unus ex petitoribus erat quidam Eugenius Fehér, ut audio iuvenis egregius. Cur non ille est nominatus?

— Re vera ille fuisset opportunissimus. Sed iussit Amplitudo Vestra libellum unius cuiusque a graphologo cognoscendum²⁴ esse. Quod et in hoc casu factum est. En habes relationem²⁵: qui hunc libellum scripsit, homo est importunissimus²⁶, iactator²⁷ vacuus, spurcus²⁸ et penitus vulgaris²⁹.

²⁴ külön elbírálás = besondere Beurteilung = être jugé moins sévèrement ²⁵ megvizsgál = untersuchen = examiner ²⁶ jelentés = Bericht = rapport ²⁷ összeférhetetlen = unverträglich = importun ²⁸ hányaveti = Praher = vantard ²⁹ undok = unflätig = dégoûtant ³⁰ ordináré fráter = gemein = vulgaire



GEOGRAPHICA.

Pagus¹ Ticinensis.²

Pagus Ticinensis totus meridie Alpium est; nam ab asperis iugis summarum Alpium et Adu-lae³ ad planities Insubrem⁴ pertinet. Conformatio sóli varia est: alti continui montes, virides colles et uberes agri sunt; at maxima pars superficiei, regione montuosā occupatur. Complures fluvii, quorum Ticinus principalis est, pagum irrigant, et maximi lacus Ceresius⁵ et Verbanus⁶ sunt. Incolarum fere 160 milia sunt. Ticinenses patriā Helvetii, sermone Italici, genere Latini, confessione



Monumentum independentiae in urbe Lugano.

catholici sunt. Vallis incolae etiam in repositas⁷ terras orbis terrarum migrare solent. Caelum regionis varium atque salubre est et diversi sunt reditus⁸ sóli. Populus in cultura cerealium (frumentum, zea⁹, avenae, hordei) atque arborum fructuosarum (mali, piri, persici¹⁰, cerasi, nucis) et in

pecuaria re versatur. Viae ferratae et itinera curribus pervia¹¹ commercio favent.

Anno 1798 regio nostra «Reipublicae Helveticae unitae inseparabilisque» particeps facta est. Anno 1813 autem, auctore Napoleone I-o consule, pagus constitutus est et «Respublica pagi Ticinensis» appellatus. Nunc parva respublica libera more Foederis Helvetici est. In 8 territoria dividitur, quae 38 circulos atque 261 vicus comprehendunt.

Principes urbes sunt: Lucanum, positum in magnifico sinu, frequentatissimum a peregrinis pulchritudines naturales admirantibus. Baltizona¹², caput pagi, cui imminent tria vetusta oppida, postremae reliquiae dominationis Insubris in pago Ticinensi. Lucarnum¹³, iucunda urbs in ora Verbani, ornata magno templo «Mariae Virginis Saxii». Mendrium¹⁴, vicus floridus industriā tabaci. Cladium¹⁵, situm inter fines Helvetiae atque Italiae.

Laur. Bolzani disc. lycei Lucani.

¹ Canton ² Tessin ³ mons Rheinwaldhorn in Alpiibus Lepontinis ⁴ quondam: Gallia Cisalpina ⁵ Lucanus ⁶ Lago Maggiore ⁷ félreső = entlegen = éloigné ⁸ jövedelem = Einkommen = revenu ⁹ kukorica = Mais = maïs ¹⁰ ősz barack = Pfirsich = pêche ¹¹ járható = fahrbar = praticable ¹² Bellinzona ¹³ Locarno ¹⁴ Mendrisio ¹⁵ Chiasso

Quomodo Romani merces commedationibus pervulgaverint? (2)

Ex periodico «Tükör» intitulato. Scripsit I. Révai, convertit Aem. Láng Keszthelyensis.

Primo saeculo p. Chr. tabernae, pergulae⁶⁹ et officinae⁷⁰ vias iam adeo occupabant, ut comaeum⁷¹ impediverint. Mercatores enim sagaciores non tantum omnia loca pedeplana⁷² aedium conduxerunt, sed etiam mensas ante tabernas collocarunt, popinis⁷³ totam fere viam intercluserunt, quin⁷⁴ etiam⁷⁴ officinas in publicum⁷⁵ transtulerunt, ut homines propriis oculis viderent, quomodo opera artificiosa fierent. Quo factum est, ut in quibusdam viis commeari vix potuerit. Roma — ut ait Martialis — magna taberna fuit. Caupones⁷⁶, botularii⁷⁷ suas merces, tonsores tonstrinam⁷⁸ in publico exponebant et aditus quoque aedificiorum obstruebant. Undique pilae erant positae, ex quibus merces venales pendebant. Hic lagoenae⁷⁹ catenatae bene picatae⁸⁰ pilam praecingebant cum notis⁸¹, vel iuxta tabernam amphorae stabant diligenter gypsatae⁸², quarum in cervicibus pittacia⁸³ erant affixa cum titulo e. g.: M. Fabi Eupori⁸⁴ Cnidium bimum⁸⁵. Illuc pernae⁸⁶, botuli⁸⁷ et lari-

⁶⁹ bódé = Bude = échoppe ⁷⁰ műhely = Werkstatt = atelier ⁷¹ szabad forgalom = freier Verkehr = circulation ⁷² földszint = Erdgeschoß = rez-de-chaussée ⁷³ lacikonyha = Garküche = rôtisserie foraine ⁷⁴ sőt még = ja sogar = même ⁷⁵ utca = Gasse = rue ⁷⁶ korcsmáros, csapláros = Schenkwirt = cabaretier ⁷⁷ kolbászárus = Würstler = charcutier ⁷⁸ borbélyműhely = Barbierstube = boutique de coiffeur ⁷⁹ palack = Flasche = flacon ⁸⁰ beszurkózt = verpicht = enduit de poix ⁸¹ címke = Etiketete = étiquette ⁸² gipsszel lezárt = übergipst = fermé à l'aide de plâtre ⁸³ címke boros üvegen = Schildchen an einer Weinflasche = étiquette ⁸⁴ caupo notus ⁸⁵ kétéves bor = zweijähriger Wein = vin de 2 ans ⁸⁶ sonka = Schinken = jambon ⁸⁷ kolbász = Wurst = saucisse


dum⁸⁸ ad ministrandum erant exposita. Hic in ampullis⁸⁹ oleariis oleum vēnibat ad usum in balneis, alibi dolia mellis plena cerneret. Hic odores, unguenta, illuc vestes sericae emptores invitabant. Quae commendationes ad usum fuerunt accommodatissimae: merces ipsae pro se locutae sunt. Seneca dicit nonnullos negotiatores nihil habere praeter illa, quae in fronte suspensa sint. Memorandi mihi hic videntur proxenetae⁹⁰, per quos pecunia mutuari potuit et qui tabulas proscripserunt in fronte tabernarum suspensas e. g. se hanc vel illam auctionem⁹¹ facturos esse vel quid et quanti vendituri aut locaturi⁹² essent.

Nocte tabulae repagulis⁹³ oclusae pretiosā tabernarum custodiebant, sed primā luce iam aderant mercatores industrii, tabernas reclusas mundabant et merces altā voce commendabant. Si autem mercator vocem⁹⁴ clamando⁹⁴ obtudit⁹⁴ sive eum clamare taedebat, vicem mercatoris supplebat album velum⁹⁵ linteum foribus praetentum, in quo teste Iuvenali imagines mercium depictae erant. Picturae cerni potuerunt etiam in umbellis, quibus merces a sole et pluvīa tegebantur. Denique⁹⁶ mercatores vivā voce, expositis mercibus, picturis et diversis signis res suas commendabant. Quae signa, plerumque tabulae caelatae sine textu solis imaginibus merces repraesentabant et genera tabernarum indicabant. Etiam sepulchra mercatorum ac opificum defunctorum huiusmodi tabulis sunt adornata. Pauperes imaginem, titulum et genus tabernae indicantem, aliasque inscriptiones parieti appingendas curabant.

Monumenta saeculis volventibus restantia tam multifaria exstant, ut certissime dixeris tabernas sine signis vix exstitisse. Signum lanii⁹⁷ cuiusdam fuit tabula 1. illa caelata, in qua quinque pernae⁹⁸ fumatae cernuntur; in altera autem ad partem sinistram mulier, verisimiliter uxor lanii, in arcisello⁹⁹ sedens aliquid in libellum refert¹⁰⁰, in medio ex tigno porci caput, botuli¹⁰¹, perna, tergus¹⁰² suillum¹⁰² dependent, in trunco lanii barbatus cultro carnem minutim¹⁰³ concaedit, et a latere trutinā¹⁰⁴ cernitur. Tabulae omnino epicum characterem prae se ferebant: Copiose narrant emptoribus tabernam esse mercibus delicatis abunde instructam et ornatam atque celeritatem in mercibus ministrandis¹⁰⁵ esse promptam et paratam. In tabula 2. cuiusdam venditoris vestium virilium duo viri seniores sedent et iuxta eos ad sinistram iuvenis astat. Hi sunt emptores. In medio est ipse venditor, dextrā duo ministri tabernae pannum praetendunt. Taberna verisimiliter et alteram habebat partem emptoribus, reperta est enim tabula, in qua ministra emptoribus vestes muliebres ostendit. Superest tabula 3. (pag. 26) caelata, empto-



1. Signum lanii.



2. Tabula venditoris vestium virilium.

res alliciens, quae leporem, suem silvaticum et volatilia repraesentat. In eadem tabula vides etiam illud Vergilianum: «Dum (in) montibus umbrae lustrabunt (c)onvexā¹⁰⁶, polus dum sidera pascet, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt» quod hic ad venatores spectare¹⁰⁷ videtur. Integra remanebat tabula 4. (pag. 26) arte perfecta, quae signum fuit tabernae operum muliebrium manu factorum. Super scamnum¹⁰⁸ sedent coniuges postque eos ipse venditor, supra ex longurio¹⁰⁹ duo cingilla¹¹⁰ acu picta, vestis et tres pulvini¹¹¹ dependent; utrobique¹¹² astant duo ministri, ceteri autem mercem manibus tenent. *Continuabitur.*

⁸⁸ est caro suilla cum suo pingui sale condita et siccata: significat etiam ipsum pingue (= szalonna = Speck = lard) ⁸⁹ erat vas lenticulari forma (= lencsealakú edény = linsenförmiges Gefäß = vase à pense aplatie) ⁹⁰ alkusz = Sensal = courtier ⁹¹ árverés = Versteigerung = vente aux enchères, encan ⁹² bérbead = vermieten = louer ⁹³ retez = Türriegel = verrou ⁹⁴ rekedtre kiabálja magát = sich heiser schreien = s'égosiller, perdre la voix à force d'avoir crié ⁹⁵ függöny = Vorhang = rideau ⁹⁶ egy szóval = kurzum = bref ⁹⁷ mészáros = Fleischer = boucher ⁹⁸ sonka = Schinken = jambon ⁹⁹ támlásszék = Lehnstuhl = fauteuil ¹⁰⁰ bejegyez = einschreiben = inscrire ¹⁰¹ kolbász = Wurst = saucisse ¹⁰² sertésgerinc = Schweinsrücken = échine de porc ¹⁰³ apró darabokra = in kleine Stückchen = en petits morceaux ¹⁰⁴ mérleg = Wage = balance ¹⁰⁵ kiszolgál = bedienen = délivrer ¹⁰⁶ hegyoldal (lejtő) = Bergabhänge = pente ¹⁰⁷ céloz = anspieren = faire allusion ¹⁰⁸ pad = Bank = banc ¹⁰⁹ hosszú rúd = eine lange Stange = perche, barre de bois ¹¹⁰ csinos nő öv = hübscher Gürtel f. Frauen = jolie ceinture de femme ¹¹¹ párna = Kissen = coussin ¹¹² mindkét oldalon = auf beider Seite = des deux côtés

Autumnus.

Cadunt iam arboribus folia. Calvescunt¹ arbores. Marcescunt² virides frondes. Moriuntur flores. Reticet sensim cantus avium. Sciurus³ non salit. Non volant pulchri papilionēs.⁴ Natura obdormit.

Georgius Székely disc. gymn. Archiep. Bp.

¹ kopaszodik = kahl werden = se dénuder ² elhervad = verwelken = sécher, jaunir, flétrir ³ mókus = Eichhörnchen = écureuil ⁴ lepke = Schmetterling = papillon



3. Taberna, ubi caro ferina venditur (pag. 25).

De Petro Henrico Lingo.

Primus hocce anno redit saecularis a Petri Henrici Lingi morte atque Sueci¹ summos honores viro illi, quem non modo poëtam, sed etiam Suecicae quam nuncupant, exercitationis seu gymnasticae artis inventorem fuisse patet, tribuent. Iuvabit igitur novisse eum Liungae XVII Kal. Dec. an. MDCCLXXVI natum esse, atque, cum sollerter apud Lundensem athenaeum² studiorum curriculum perfecisset, quasdam civitates peragravit. Bracchio dextro forte debili³ facto³, cum hunc morbum medici sanare nequissent, arte⁴ gladii⁴ ipse se curare inchoavit tanto successu, ut anno MDCCCXIII Stockholmae, rei publicae illius praeside suadente iubenteque, in mediam exercitationis artisscholam aperiendam viritim incumberat, quamque sibi proposuisset metam, laetus contingeret.

Interim artem suam, post aliquot elapsos annos, apud Carolibergensem scholam bellicam est professus⁵, posteaque litterarum Academiae, cuius gratiã aureo numismate, quod venusta condidisset carmina, decoratus erat, socius cooptatus⁶ est.

Diem vero supremum III Non. Mai. anno MDCCCXXXIX obiit et summo in colle, honoris peculiaris causa, haud longe a Cardiberga in sepulcro est conditus. Quid? Haud multis lapsis annis Lingi meritum gentes universae magni fecerunt hodieque faciunt, quandoquidem, exercitationis artis ab eo inventae viã et ratione, menti corporique sanis servandis consulitur. Quam ad rem num silentio praeterire possumus Iuvenalis illud «sit mens sana in corpore sano»?

Quae cum ita sint, nihil equidem mirandum tanti viri laudes a Stockholmsibus excoli atque Suecicae reipublicae administris duo pittaccia⁷, Lingi imagine decorata atque a Sandbergo, pictore claro, expressa, in volgus nuperrime prodire placuisse. *Prof. Ioannes Baptista Bellissima.* (Pisa — Italia.)

¹ svédek = Schweden = Suédois ² gymnasium ³ megbénul = lahm werden = se paralyser ⁴ vívás = Fechtkunst = escrime ⁵ tanít = Unterricht erteilen = enseigner ⁶ beválaszt = wählen = élire ⁷ bélyeg = Briefmarke = timbre-poste

Ad certamen lectores invitantur.

Certamen cum praemio lectoribus proponitur. Praemium illi adiudicabitur lectori, qui optime descriperit *monumenta antiquitatis suae regionis*, quibus illustrationes (photographiae, etc.) quoque adiungi possunt. Qui certaminis particeps esse vult, mittat descriptionem sine nomine, ne nomina nota nobis incommodent. Quam ob rem rogamus certaturos, ut opuscula dictis quibusdam brevibus designare velint. Mittendis pensis terminum Calendas Ianuarias constituimus. Optima opuscula praemio ornabuntur.

Quae mihi in „Iuventute“ maxime placeant?

(2)

Opuscula praemio certaminis ornata.

In vita nostra scholastica multa amoena molestaque momenta habemus. Adventus Iuventutis nostrae carae semper gaudium magnum comparavit. Omnibus mensibus iam permota exspectavi eam. Valde adamavi hanc ephemeridem caram. Nunc quaesitum est, quae mihi in Iuventute maxime placuissent? Ego, ut «bonam» discipulam decet, respondere volo. Quae mihi maxime placeant? Adamavi eruditionem seriam et multum risu iocosus.

Sed tamen fortasse maxime articulos eius primarios adamavi. In his tantum cognovi res novissimas temporis nostri, sed versus vere perfectos, modernos, Latinos legere potui. Percepi totam per Europam eruditos per linguam Latinam commercium inter se habere. Praesensi totum mundum in his versibus nuntios suaves mihi mittere. Ideo dedicavi illis studium maximum.


Valde placebant mihi etiam narrationes ingeniosae. Sed sincere dicens primum iocosa spectavi et legi. Nos omnes ridere amamus. Gratia debetur illis, qui opera et iocosa scribentes mihi risum movebant.

Beata eram, cum hymnos pulchros nationales canere potui. Haec carmina palpitationem cordis nationum omnium coniungunt, quia in omnibus hymnis cor patriae palpitat. Omnes hymnos nationales gaudio didici ex Iuventute. Haud minoris facimus carmina quoque popularia.


Haec placuerunt mihi maxime. Articuli primarii amplificaverunt scientiam meam Latinam, ostenderunt mihi aeternitatem linguae Latinae. Narrationes ingeniosae et iocosa mihi risum moverunt hilaritate sua. Haec omnia coniunctim effecerunt, ut Iuventutem adamarem.

Elisabetha Fikár

abituriens thygatrogymn. Kaposváriensis.




4. Taberna operum muliebrium manu factorum (pag. 25).



Quid de pellicula¹ sciendum sit. (2)

Scripsit *Ladislav Javorik* disc. Tatanus.

Postea picturae ita parabantur, ut multa momenta motus luce² pingentur² et hae imagines luce pictae in cylindro positae sunt. Deinde *Marey*



Constructio primi cinetoscopii Edisonis.

talem machinam pelliculariam invenit, in qua vitta chartacea materiã lucis³ impatienti³ oblita erat. Intra minutum⁴ secundum⁴ tubulus⁵ partem duodecimam vittae ante lenticulam traxit. Hac machinã usus est *Mayer*, cum a. 1888 primam pelliculam paravit. Anno post *Friese-Greene* pelliculam iam ex cellulosa factam invenit. A. 1895 *Edison* ambos margines pelliculae aequabiliter perforavit, quo facto rota⁶ dentata⁶ aequabiliter saliens potuit trahere pelliculam. Hac machinã excultã⁷ a fratribus *Lumière* die 28 m. Decembris a. 1895 primus ludus⁸ cinematographicus editus⁸ est. Tunc demum pellicula viam ingressa est totum mundum occupatura.

Continuabitur.

¹ vulgo: film ² lefényképezni = Lichtbildaufnahmen machen = photographier ³ fényérzékeny = lichtempfindlich = sensible à la lumière ⁴ másodperc = Minute = minute ⁵ orsó = Spule = bobine ⁶ fogaskerék = Zahnrad = roue dentée ⁷ tökéletesít = vervollkommen = perfectionner ⁸ előadás = Aufführung veranstalten = faire une représentation

Commercium epistularum

compluribus sociis rogantibus inter lectores instituere decrevimus. Quamobrem, si quis rogandi vel nuntiandi quidquam habeat, quod ad utilitatem communem spectare videatur, adeat moderatorem, cuius erit editio digna cum lectoribus communicare. Inveniri enim poterit, cuius interfuturum sit scire, quales sint rationes illius et illius urbis, scholae, etc., qui pittacia commutare vel aliquid cognoscere velit, ad quod assequendum aliorum consilii egeat, aliaque huius generis. Praesertim nostrum fore pollicemur epistularum commercium linguã Latinã inter discipulos nostrates exterosque conciliare.



Homo homini lupus. Triste officium est hisce temporibus narrare, quae singulis mensibus facta sint. In Asia populi gilvi¹, in Europa populi albi sese furore incensi immenso dilacerant. Milia hominum trucidantur, urbes, aedificia, pontes maximis sumptibus aedificati diruuntur. Nihil tuti terrã marique, nihil quietis in aère, sub terrã pontoque. Maximae urbes vacuefiunt, matres et parvi liberi aut personas gaso arcendo destinatas secum portant, aut domibus suis relictis ruri refugium quaerunt, ne pyrobolis² hostium volantium interficiantur. Deus Omnipotens maxime iratus generi humano in dies gravioribus casibus affligit superbiam hominum. Pii et casti incassum³ fundunt preces (nam etiam in Aegypto Muhamedani rege Faruc iubente quotidie finem malorum orant). Populi minores, quamquam neutrales manere volunt, tamen coguntur iura libertatis dimittere,



Series punctorum ostendit confinium Germaniae et Russiae in Polonia divisa.

urbes, insulas, aeroportus⁴ etc. vicino potentiori tradere. Quo usque tandem! Pater noster, qui es in coelis, quando Te miserebit gentis humanae!

Poloniã occupatã divisãque cum Russis Dux Germaniae, Hitler declaravit se libenter pacem componere velle, sed Britannii Gallique nolunt arma ponere, nisi Polofia restituitur, quamquam non ignorant Russos partem Poloniae acceptam reddere nolle. Ita bellum acrius atrocius nunc incipitur, cuius finem nemo nisi Deus scit.



Elias Bitter (ab laeva) et L. Horányi cum choro discipulorum suorum Horatium cantantium.

Elias Bitter unus ex fautoribus nostris praecipuis, 71 annos natus gravi morbo inopinate mortem obiit. Sua Reverentia diu director erat gymnasii Ordinis Cisterciensis Budapestinensis effecitque, ut novum aedificium discipulis — palatii instar — aedificaretur. Condidit Societatem Emericanam, cuius usque ad mortem commendator (praefectus) fuit. Cum Elias Bitter optime meruit de vita catholica propaganda educandaque iuventute, a Summo Pontifice abbas Clavalliensis⁵, — quo titulo post perturbationem⁶ Gallicam nemo unquam ornatus est — a gubernatore nostro autem rector studiorum superior nominatus est. Elias Bitter lugetur etiam a Societate nostra, cuius diu praeses magni nominis fuit, nec non ab amicis artis cantandi, cuius doctorem studiosum et postea patronum nobilem se praestitit. Lux perpetua luceat ei!

¹ sárga = gelb = jaune ² bomba = Bombe = bombe
³ hiába = vergebens = en vain ⁴ repülőtér = Flugplatz
= aérodrome ⁵ Clairveaux ⁶ vulgo = revolutio

LECTORIBUS MAIORIBUS.

Sanctus Willibrordus Apostolus Bataviae. (739—1939)

Officium proprium Breviarii Romani in Batavia dicit die VII Mensis Novembris de Sancto Willibrordo: «Beatus Willibrordus in Northumbria, regni Angliae provincia natus est. Pater eius, Wilgisus, ex Saxonibus ortus, postea monachus factus, sanctitate ac miraculis claruit. Mater pietate insignis, cum de nocte per visum nova luna ei ostensa esset, quae usque ad plenilunium crescens repentino casu in os eius delapsa, omnia interiore luce repletet, de divina nascituri filii ad convertendas gentes electione, caelitus edocta est».

Willibrordus septem annos natus in Sancti Wilfridi monasterium intravit, ubi exemplum humilitatis, modestiae, oboedientiae factus est et vix XVI annum agens vota, quae octo ante annos pater loco eius fecerat, confirmavit. Tunc miles Christi in exercitu Sancti Benedicti factus est in aeternum. Sed militem Christi viam Christi ingredi oportet; via Christi autem via crucis est, quod Willibrordus et intellexit et sensit. Anno 768 enim monasterium Ripense patrem, Wilfridum, amisit et monachi, rectore absente, dimissi sunt. Pars eorum, inter quos erat Willibrordus, in Hiberniam demigraverunt. In hac «insula Sanctorum» Willibrordus a Sancto Egberto ad sacerdotium institutus est. Zelo animarum aestuans mitti cupiebat vehementer in Bataviam ad religionem Christianam divulgandam inter gentes barbaras et ad animas Christo lucrificandas.

Presbyter factus undecim cum sociis Ultraiectum petivit, quod oppidum finis itineris non erat; Durostadi in terram exierunt et inde equo vecti Leodium, in sedem Pipini Herstalli, profecti sunt. Nonnullos post annos Pipinus, qui Willibrordum sanctum virum fortissimumque catholicae veritatis propugnatores esse videret, eum Romam, ut a Papa Sergio archiepiscopus Ultraiectensis consecraretur, misit. Die 22 Mensis Novembris anni 695 Willibrordus 37 annos natus «archiepiscopus Frisiorum» consecratus est.

Statim in Bataviam revertit sedemque episcopalem Ultraiecti constituit. Hinc Willibrordus in omnes partes Frisiae Belgiique oculos convertit. Pipino Herstallo autem mortuo Willibrordus cum

RECITATIO LATINA RADIOPHONICA

instituetur per longitudinem undarum missoris I Budapestinensis die 15-o m. Novembris hora 22⁵⁰ a Iosepho Wagner doctore de „Lingua Latina, mediatrice inter Hungariam ceterasque nationes“. Lectores nostri et in Hungaria et extra Hungariam ad recitationem audiendam invitantur, simul auditores auditricesque, quibus recitatio placuerit, orantur, ut scribant ad moderatorem aut ad Societatem Radiophoniam Budapestinensem, stabiliendasne recitationes Latinas radiophonicas putent.

suis Ultraiecto fugere cogebatur, nam Radbodus, rex Frisiorum, eis necem parabat. Radbodo mortuo Ultraiectum redierunt laboresque receperunt. Willibrordus non solum apostolus Frisiae, ut multi putant, sed etiam apostolus Belgii, Daniae, multorum pagorum vicinorum erat.

Monasterium Echternacium, quod dono a Sancta Irmini acceperat, monasterium Benedictinum fecit, in quo sacerdotes et monachos ad munia difficilia (ut gentes Frisiorum evangelizarent) instituendos curavit. Hoc monasterium longe maxime amavit Willibrordus, ubi etiam se sepeliri volebat. Cum die septimo Mensis Novembris anno 739, 81 annos natus, mortuus esset, ibi sepultus est. Diem festum Sancti Willibrordi hoc anno, — 1200 ante annos enim Willibrordus obdormivit in Domino, — et Echternaci et in Batavia maxima cum gloria agi, notum est.

Sancte Willibrorde ora pro Batavia!

Carolus v. d. Wiel — disc. Domus Missionis Kaatsheuvel.

Librorum recensio.

Dr. Jeney János: *Cicero és Szent Ambrus erkölcs-tana.* (Ciceronis et Sancti Ambrosii praecepta de moribus.) Egyházmegyei könyvnyomda Veszprém.

Ioannem Jeney dr., etsi ante eum aliquot viri docti Ciceronis et Ambrosii de officiis libros comparantes elaboraverunt, ut statuerent, quibus rebus philosophia de moribus Christiana et Romana inter se concinerent quibusve dissiderent, nequaquam tamen inutilem operam sumpsisse dixerim cum Ciceronis et Ambrosii librorum comparationem denuo suscepit, immo vero asseveraverim eum comparationis diligentia et subtilitate eos, qui eandem viam permeaverant, longo post se intervallo reliquisse. Est autem huius disputationis in eo sita vis, quod acute et sollerter morum Christianorum et Romanorum inter se repugnantiam distinguit. Est quidem Jeney Ciceroniana de moribus doctrinae certissimus astipulator, sed haud



Pittacia Batava ab Ioanne van Heugten Kaatsheuvel missa: pro iuventute egena; de Academia Trajectina: 1626—1826; de Conventu mundano exploratorum (vulgo: Jamboree); de trecentario provinciae colonicae Curaçao: 1624: 1824; de festo Guilelminae reginae quadragesimum annum regni explentis: 1898—1938; pittacium pacis; de adventu S. Willibrordi in Bataviam: 739—1939.

paucis locis liquido demonstrat Ciceronem, licet virtutem summum bonum esse dicat, tamen cum a Deo seiunctam velit, summum bonum in lubrico fundamento posuisse. At vero nos secundum doctrinam de moribus Christianam, cum ex hominis supernaturali sive transcendentali apta sit et nexa indole, summi boni participes fieri. Virtutem esse utilem et revera esse summum bonum. Christianum hominem sua commoda ab amici non posse separare atque societati humani generis eo magis posse inservire, quo magis ad suum propositum et summum bonum accedat. Quae Cicero de moribus praeceperit, tantum, si ad Christianam religionem referantur, vera esse posse. Ita fieri, ut quae in Ciceronis libris de officiis incerta, instabilia, lubrica sint, apud Ambrosium, qui summum bonum ad Deum omnipotentem applicat, doctrina de moribus fundamento stabili et firmo nitatur. Hic Ioannis Jeney libellus perspicue et subtiliter scriptus eis, qui Christianorum et gentilium morum diversitatem cognoscere cupiunt, adiumentum adfert utilissimum. Libello adiunctum est disputationis breve argumentum Latine scriptum.

C. A.

Székesfehérvári Kalauz. Összeállította *Marschall Rafael* ciszt. r. gimn. tanár. Kiadta Székesfehérvár szab. kir. város. 1939. Bolti ára 1.50 P.

Ex quo a. 1938 urbs antiqua Alba Regia in comitiis regni sollemnibus memoriam primi regis Hungariae, S. Stephani renovavit celebravitque, multitudo hominum innumerabilis adit loca tot monumentis historicis abundantia. Quorum in usum hic liber 156 paginarum compositus est a collega nostro docto, *Raphael Marschall* Ord. Cist. Sed non solum verbis describit auctor historiam resque visu dignas Albae Regiae: paene centum imagines, partim luce pictae a *Carolo Tóth* photographo, partim pennā delineatae ab *St-phano Philipp* professore, ornant hanc «periegesin» — ut etiam inventorem huius generis librorum, Pausaniam, memorem — quae illis quoque, qui nunquam hanc pulchram urbem viderunt, quasi in theatro cinematographico pelliculae spectatoribus, omnia iucundissime ante oculos ponunt desideriumque videndi excitant atque audent.

Alexander Petöfi: Electio mortis

(Ha az Isten ...)

Latine reddidit *Rudolfus Nowowiejski*, Prof. Vlnensis.
(Metrum Alcaicum.)

*Si me e supernis sedibus alloqui
Vellet Creator: «Quod, iuvenis, cupis
Implebitur; dic, quale praefers
Funus?» — ego hoc Dominum precarer:*

*Pulcher sit autumnus sine nubibus,
In fronde flava sol foliis micet,
In silva avens veris misella
Carmen aviola canat supremum!*

*Autumni at haec si clam sine spe necis
Natura cedens emoritur meae —
Ne viderim mortem, priusquam
Prompta mihi ad latus appropinquet.*

*Dense canentis more avis in rufo
Sic fas supremum me pariter melos
Cantare, ut humanum cor imum
Insinuet Superosque tangat.*

*Cum versus istinc evolat ultimus,
Figas labellis dulces mihi osculum,
Pulcherrimā, auratis capillis
Compta meaeque animae voluptas!*

*Sique hoc Supremus non tribuat mihi.
Ver caeruleum det Conditor Orbium,
Ver, quo rosae florent cruentae
Pectoribus patriae satorum.*

*Ciangor tubarum personet incitans
— Martis videntur luscinae — ex meo
Flos corde florescat virili,
Praeco necis, rutilans superbe!*

*At cum caballo decido de meo,
Claudat tuum tunc ora mea osculum,
O sancta Libertas meaeque
Ter veneranda animae cupido!*

Vilnae, Kal. Aug. MCMXXXIX.

R. N.

Commercium epistolare.

I.

Andreas Avenarius S. V. D.*Iosepho Carpentario¹ doctori, Iuventutis moderatori sal.

Libenter respondeo illi cartulae, quam nuper, die hodie terminantis mensis Iulii septimo decimo, ad me dedisti, qua primum interrogas de «Annuario Pontificio.» Scito illum librum mihi cotidie in manu esse, cum scriptis in missionum terras vel ad alios viros ecclesiasticos epistolis quaerenda est inscriptio; nomina virorum, nomina locorum et terrarum ex illo fonte haurio. Is ergo liber petendus est ex «Libraria Polyglotta Vaticana, Roma» et constat in Italia libellis 35, foras 40 libellis. Suaserim ut exspectes Ianuarium mensem; nam multa assidue mutantur. Quam multa iam mutata sunt me hic scribente! quam multa usque ad decembrem mutabuntur! Si inspexeris futuram editionem, etiam meum nomen conspicies, quod in huius anni editione nondum apparet.

De tertio nihil potero polliceri, quia de illa vita² vix quidquam foras crepabit. Est autem in animo his feriatis hebdomadis ad castellum Gandolfi excurrere — semel illic fuimus postridie paschatis — sed accessus incertus est. Aedes papales non vidi-
mus, sed amoenissimam circa regionem lacum Albanum, montem cavum, Rupem Papae et ante omnia hortos Castelli³ et stabula pecorum. Tum sensi, quid Cicero diceret, cum de topiariis loqueretur. Virebant iam tum omnia. Et erant areae

* presb. S. Verbi Divini ¹ Wagner ² Summi Pontificis Pii XI ³ Gandolfo

virides oculorum deliciae buxo circumdatae. Erant fontes salientes. Et staturae hic illic collocatae antiquae et partim ruinae temporum Caesarum. Dicunt scenam Tusculi etiam pulcriorem esse. Sed videbimus, nam ferias Romae agam et illo semel prope-rabo petamque prospectum, quem toties Tullius. Censeo te ipsum aliquando cum filiis tuis venire oportere, sed non aestate propter calores. Meridie exire, ire per huius urbis vias: est fere se ipsum occidere. Dicunt Sanctissimum Patrem exiturum vix fuisse in sedem illam pulcherrimam, nisi in Vaticanis aedibus necessariae essent quaedam refectiones parietum, quae praesente pontifice, cum pulverulentae sint, fieri non poterant.

Quod autem commemoras quassatas patrias utriusque nostrum, rectissime tu quidem. In mentem hic venit utramque colere Divam Virginem, uti patronam, et utramque iisdem uti coloribus: albo et caeruleo. Hoc mihi ita placet, ut tibi referre cogar versionem, quam feci carminis «Wenn ich zum heitern Himmel schau». Sic fere sonat. Accipe Latinum:

*E mundi quovis angulo
Caelum tuenti patriam,
Quae parvulo caelum fuit,
Album pingit cum caeruleo.*

*E gutta roris lucido
Sub sider(e) in veronica⁴
Vel in myosota⁵ dulciter
Colores rident patriae.*

*Quando relucet caeruleum
Et album castis pupulis,
Terram recordor filiis
Istis notam coloribus.*

*Sed et patrona patriae
Maria Virgo caerulea
Et alba veste praedicat
Suae decus Bavariae (Hungariae suae d.)*

*Albo colore puritas
Signatur, caeruleo fides
Et est voluptas currere,
Cum tale vexillum praeit.*



Porta palatii aestivi Summi Pontificis in Castello Gandolfo, unde hisce diebus Sua Sanctitas Romam redit.

Satis longa facta epistola respondens cartulae brevi. Nunc dic salutem Tuis omnibus, insta recreationi corporis et mentis et rem fortis prosequere Ecclesiae excitata juventute ad studia Latina. Ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pridie kal. Sextiles.

II.

Dri Iosepho Wagner, viro doctissimo, *Fr. Palata*, professor emeritus, s. pl. d.

Ultimus fasciculus Iuventutis¹ admodum mihi probatur et amplo ambitu et gratā materiae varietate. At de rebus, quae ibi insunt, in animo mihi est tecum absenti per litteras colloqui copiosius.

Diu me detinuit «Natale ligamen».² Summam et sollertiam et inventionis felicitatem et linguae Latinae notitiam probavit auctor, qui politis versiculis crucis figuram apte immiscuerit nec legibus prosodiacis aut grammaticis ullam vim intulerit. At dubitationem movet vox *diphthera*. Tu reris³ *diphthera* per errorem aut licentiam scriptum esse pro *diptera* et huic voci subicis significationem portae biforis. Sed tria obstant, quominus isti adstipuler sententiae: 1) unde originem traxit illud superfluum *h*? 2) nonne potius expectemus *dipteron* (neutrum) *fundat* aut *diphthera* (pluralis poeticus) *fundant*? 3) num mentio de ianuā bipartente apte cohaeret cum iis, quae antecedunt? Quae cum ita sint, aliam propono coniecturam, quae si non vera ac certa, verisimilior tamen esse videatur. Puto igitur vocabulo illi in controversiam vocato subesse Graecam vocem *διφθέρα*, quae praeter alias res notare solet utrem coriaceum. Et haec significatio bene convenit verborum contextui. Namque sensus totius enuntiati est: quā die

⁴ (recte: vettonica) betonia = Betonie = bétoine
⁵ nefelejcs = Vergissmeinnicht = myosotis


¹ IX—X. mensim Maii et Iunii ² pag. 143 ³ Vel potius interpres: Aur. Hets (mod.)

omnia bona caelestia ex utre velut ex quodam cornu copiae imbris instar fundantur . . . Non nego etiam huic interpretationi scrupulum inesse ; sed is eiusmodi est, ut evelli possit facillime. Obiecerit quispiam : Quomodo excusabitur scriptura *diphthera* pro *diphthera*? Respondeo : Si duae aspiratae sese excipiunt, unam aut alteram aspirationem in loquendo ultro evanescere docent grammatici. Facile igitur etiam in scribendo omitti potest, velut omittitur *s* post *x* in vocibus *expecto*, *exul* aliisque.

Nuper occasionem nactus sum operis inspiciendi, cui titulus «Kirschii abundantissimum cornu copiae linguae Latinae et Germanicae. Ratisbonae DCCXLV». Hoc vetusto lexico continetur non solum Latinitas antiqua, verum etiam Latinitas aevi medii et recentioris. Ibi autem aliquid inveni, quod coniecturam meam confirmat : *Diphthera*, ae, f. = «das Fell der Geisz oder Ziegen Amaltheae, welche den Jupiter auf dem Berge Ida ernehrt» (retineo orthographiam antiquiorem, quae in libro obtinet). Itaque iterum Te rogo, ut opinionem meam fusius expositam lectoribus Latinitatis peritis exhibeas diiudicandam. Imo, si Tibi satis spatii supererit, nihil obstat, quominus totam epistulam meam aut insigniorem eius partem ad verbum in Iuventute publices.

Quod reliquum est feriarum, ut laetus exigas, apprecor Tibi votis sincerissimis. Vale !

Dabam in oppido Moraviae Trebič, 19 die Iuli. 1939.



Censor aenigmatum : Otto Schmied Vindobonensis.

1. *Quadratum magicum.*

	1.	2.	3.	4.	
1.					A A A R
2.					N N N O
3.					O O O P
4.					S S S S

1. Est idem atque «statuo».
2. Quid facis in ecclesia?
3. Sic fluvium traicio.
4. Mons situs in Thessalia.

Andreas Hetényi
disc. cl. VI. gymn. Sümegiensis.

2. *Logogriphus.*

- Cum -a- est quaedam, quae amatur ;
 Cum -u- a medico paratur ;
 Cum -e- est donum apium ;
 Cum -o- Latinum oppidum.

Idem.

3. *Quadratum magicum.*

	1.	2.	3.	
1.				A A C
2.				L L O
3.				O R S

1. Rotundum est et igneum.
2. Hoc litus est maritimum.
3. Infantibus est optimum.

Franciscus Csepány, disc. Gyöngyösiensis.

4. *Dictum Caesaris.*

(Supplendo.)

- . . . victis !
- humanum est.
- mortem beatius.
- silent Musae.

- vox Dei.
- pro reo.
- decorum est pro patria mori.
- virtus.


- , redde mihi legiones !
- veritas.
- sine qua non.
- signo vinces.

Expleto has
 Sententias !
 Sic dictum accipis
 Gai Iuli Caesaris.

Idem.

Nota. Lectoribus minimis : 3, mediis : 1, 2, maioribus : 4. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucre epistolae ad moderatorem F.J. Wagner, Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20) mittant.

Terminus solutionum : Calendae Decembres.



Discipuli orantur, ut opusculis suis translationem hungaricam aut germanicam aut gallicam addant, nam saepe non intelligi potest, quae latine scribunt. — P. Molnár. Societas Latina, periodicum latinum Monacense, omnibus in fasciculis summarium «Iuventutis» aliarumque ephemeridum latinarum publici iuris facit. — Post Idūs Sept. accepimus opuscula, quae miserant : Lad. Javorik, prof. Bellissima, R. Schaeffler, J. Fűsz, J. Vámos, M. Anna Bencze, B. Tihanyi. Haec manuscripta serius-ocius edentur omnia. — Franc. Turányi. Liber Tuus recensebitur.